



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 77. Vtrum actus naturalis possit habere obiectum formale  
supernaturale, & actus supernaturalis possit habere obiectum formale  
pure naturale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

non eadem est species sanitas hominis, & equi propter  
diversas naturas, ad quas ordinantur; & eodem mo-  
do dicit Philosophus tertio Polit. cap. 3. quod diversae  
sunt virtutes civium secundum quod bene se habent  
ad diversas politicas; & per hunc modum differunt  
specie virtutes morales infuse, per quas homo bene se  
habet in ordine ad hoc, quod sunt civis Sanctorum,  
& domestici Dei, & aliae virtutes acquisite, secun-  
dum quas homo bene se habet in ordine ad res huma-  
nas. Haecenus S. Thomas, Videri possunt  
Cajetanus in Comment. Suarius, & Vasquez  
locis citatis.

10. Addit S. Thomas loco citato, quod  
licet temperantia naturalis, & supernaturalis  
ex. gr. consistant in hoc, vt ponant debitum  
modum mediocritatis in cibo, & potu, ta-  
men diversus modus, ac diversa mediocritas  
ponitur à temperantia naturali, diversa à  
temperantia supernaturali. Ratio est, quia  
temperantia naturalis ponit modum in cibo,  
& potu in ordine ad finem naturalem conser-  
vandi vitam, & sanitatem, & non impediendi  
rationem, & operationes mentis; tempe-  
rantia autem supernaturalis ponit modum  
in cibo, & potu in ordine ad corpus edoman-  
dum, & carnem spiritui perfecte subijcien-  
dam: sed diversus modus est ponendus in or-  
dine ad tales fines; siquidem ad finem edo-  
mandi corpus, & carnem spiritui perfecte  
subijciendam, ponenda est maior abstinentia  
à cibo, & potu, aliisque delectabilibus sensi-  
bilibus, quam ad finem naturalem conseruan-  
di sanitatem, & vitam, & non impediendi  
operationes mentis; ergo &c. Quod diximus  
de temperantia, proportionaliter dicendum  
est de alijs virtutibus, praesertim ponentibus  
modum passionibus, & concupiscentiis.

11. Ad primum, distingo maiorem:  
obiectum formale iustitiae naturalis est hone-  
stas pure naturalis tribuendi unicuique id, ad  
quod habet ius, concedo; honestas superna-  
turalis, nego; distingo eodem pacto mino-  
rem; & nego consequentiam, ac retorqueo  
argumentum. Honestas enim naturalis, &  
supernaturalis differunt specie; ergo obiecta  
formalia iustitiae naturalis, & supernaturalis  
differunt specie.

12. Ad secundum, distingo antecedens;  
honestas tribuendi ius suum amico, vel ini-  
mico, consanguineo, vel extraneo non dif-  
ferunt intrinsecè, & formaliter in ratione ho-  
nestatis iustitiae, transcat: in ratione honesta-  
tis alterius virtutis, nego; & nego conse-  
quentiam. Honestas tribuendi ius suum  
amico, vel inimico, consanguineo, vel ex-  
traneo non differunt intrinsecè, & formaliter  
in ratione honestatis iustitiae, quae solum est  
honestas tribuendi unicuique ius suum; at  
differunt formaliter in ratione honestatis alte-  
rius virtutis, puta amicitiae, quae intendit ho-  
nestatem tribuendi id, quod debetur amicis  
&c. Ac honestas tribuendi ius suum conciu-  
ibus naturalibus, vel supernaturalibus diffe-  
runt intrinsecè, & formaliter in ratione ho-

nestatis iustitiae naturalis, vel supernaturalis,  
quae rationes naturalis, vel supernaturalis non  
significant speciem virtutis, sicut amicitia si-  
gnificat speciem virtutis, sed solum signifi-  
cant differentias divinas virtutum, tum na-  
turalium, tum supernaturalium, & constitu-  
tivas specierum virtutum supernaturalium, &  
naturalium.

13. Ad tertium concedo antecedens, &  
nego consequentiam. Disparitas est, quia  
honestas, quae decet hominem, in quantum  
iam possidet beatitudinem, non est diversa  
specie ab honestate, quae decet hominem,  
in quantum ordinatur ad beatitudinem obti-  
nendam, licet illam adhuc non possideat, cum  
utraque sit honestas in ordine ad eundem fi-  
nem beatitudinis supernaturalis; ergo non  
constituunt obiectum formale specie diver-  
sum, nec specificant diversam virtutem. At  
honestas decens hominem, in quantum ordi-  
natur ad finem supernaturalem, est diversa  
specie ab honestate, quae decet hominem, in  
quantum ordinatur ad finem naturalem; ergo  
constituit obiectum formale specie diversum,  
& specificat virtutes supernaturales specie di-  
versas à naturalibus.

14. Ad quartum; dum diximus iustitiam  
infusam, eiusque actus habere diversum obie-  
ctum formale, ac iustitia acquisita, & eius  
actus, loquuti sumus de iustitia acquisita phi-  
losophica, de qua loquuti sunt Aristoteles, &  
Philosophi, quae fundatur in sola ratione na-  
turali, non autem in doctrina divinitus reve-  
lata; sed iustitia haereticorum, de qua loqui-  
tur argumentum, non fundatur in ratione  
pure naturali, sed in revelatione divina; ergo  
haecenus non sumus de ea loquuti, sed de ip-  
sa agemus quaestione sequenti, in qua exami-  
nabimus, yrum actus entitativè naturales, &  
supernaturales possint non differre ex obiecto  
formali.

QVAESTIO LXXVII.

*Verum actus naturalis possit habere obiectum  
formale supernaturale, et actus su-  
pernaturalis possit habere obie-  
ctum formale pure na-  
turale?*

1. **V**idetur actus naturalis posse habere  
obiectum formale supernaturale, etiã  
cognitum vt supernaturale: primo quia Deum  
esse bonitatem supra omnem bonitatem, &  
supra omnem naturam creatam, & creabilem,  
est Deum esse bonitatem supernaturalem: sed  
lumine naturali possumus cognoscere Deum  
esse bonitatem supra omnem bonitatem, &  
supra omnem naturam creatam, & creabilem;  
ergo lumine naturali possumus cognoscere  
Deum esse bonitatem supernaturalem: sed  
bo-

bonitas naturaliter cognita potest naturaliter mouere ad amorem; ergo naturaliter, ac proinde per amorem naturalem possumus amare Deum ex hoc motiuo, quia Deus est bonitas supernaturalis.

2. Secundò in tantum per amorem naturalem non possemus amare Deum vt ens, & bonum supernaturale, in quantum per amorem naturalem non possemus Deum amare, vt auctorem supernaturalium, sed solum vt auctorem naturæ; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor: nam in tantum non possemus per amorem naturalem amare Deum vt auctorem supernaturalium, in quantum, per discursum naturalem non possemus cognoscere Deum posse producere supernaturalia: sed per discursum naturalem possumus cognoscere Deum non solum posse producere naturam, & naturalia, sed etiam posse producere quicquid non implicat contradictionem, ac proinde etiam ea, quæ sunt supra omnem naturam creatam, & creabilem, ideoque sunt supernaturalia; ergo &c.

3. Tertio nullum est obiectum ita excellens, & supernaturale, vt non possit per actum entitatiuè naturalem cognosci, & amari; ergo &c. Probatur antecedens: nam obiecta maximè supernaturalia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Beatitudinis consistentis in visione intuitiua Dei &c.; sed hæc obiecta possunt per actus naturales cognosci, & amari; ergo &c. Probatur minor: nam posset alicui persuaderi reuelatum fuisse dari in Deo quatuor Personas; Patrem, & Spiritum Sanctum fuisse incarnatum; beatitudinem supernaturalem consistere in cognitione comprehensiua Dei &c. sed in hoc casu posset ille ex motiuo diuinæ veritatis reuelantis credere hæc falsa mysteria per actus falsos, ac proinde purè naturales; ergo posset hæc credere per actus purè naturæ; & per actus purè naturales, ac falsos, ex motiuo diuinæ reuelationis credere hæc mysteria falsa, posset etiam per vires naturæ credere mysteria vera, nimirum Deum esse Trinum in personis, Verbum esse incarnatum, & beatitudinem consistere in visione Dei non comprehensiua; neque enim habemus minores vires naturales ad credendum hæc, quam illa, quia hæc sunt vera, illa sunt falsa; ergo per actus naturales possumus propter auctoritatem Dei reuelantis credere omnia mysteria supernaturalia; ergo possumus omne bonum supernaturale amare vt obiectum formale. Posito enim, quod actu naturali cognoscamus illud esse bonum, possumus amore naturali illud amare ratione sui, adeoque vt obiectum formale.

4. Quarto posset aliquis hæreticus negare vnum solum articulum, eumque merè speculatiuum, & credere omnes alios articulos, præsertim practicòs, quibus proponuntur bona supernaturalia amabilia propter se, & vt obiecta formalia; sed credet hæc bona actu

purè naturali, ex quo proinde non possit fieri amor supernaturalis; ergo poterit amor naturali amare vt obiecta formalia propter se amabilia omnia bona supernaturalia.

5. Quinto videtur actus supernaturalis posse habere obiectum formale purè naturale, & cognoscibile viribus naturæ. Potest enim aliquis per actus versantes circa obiecta naturalia disponere se ad fidem, & gratiam; sed nemo potest se disponere ad fidem, & gratiam, nisi per actus supernaturales, vt docet communiter theologus; ergo dari possunt actus supernaturales circa obiecta purè naturalia. Probatur maior: nam infidelis, cuius solum propositum sit mysterium supernaturale, potest inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intelligere, & concipere desiderium glorificandi Deum, eique gratias agendi, & alicuius felicitatem consequendi, & ex hoc desiderare, vt instruat in cultu Dei, & inire in Christianum, à quo instructus creditur Christum, iustificetur, & saluetur; sed negari non potest, quod hic per actus exercendos antequam proponatur illi vllum mysterium, vel obiectum supernaturale, se disponat ad fidem, & ad iustificationem; ergo poterit quis per actus supernaturales versantes circa obiecta purè naturalia se disponere ad fidem, & ad iustificationem.

6. Respondeo quatuor esse sententias extremas, & duas medias. Prima, que defenditur argumentis allatis in rationibus citandis, docet actus naturales habere purè obiectum formale supernaturale, & actus naturales habere posse obiectum formale purè naturale.

7. Secunda extremè contraria docet, actus naturales habere posse obiectum formale supernaturale, nec actus naturales habere posse obiectum formale purè naturale.

8. Tertia sententia media docet actus supernaturalem habere posse obiectum formale purè naturale, at actum naturalem non posse habere obiectum formale supernaturale. Fundamentum esse posset, quia actus supernaturalis, cum sit in genere superiori, potest etiam extendi ad obiectum formale generis inferioris, quale est obiectum formale purè naturale: è conuerso actus naturalis, cum in genere inferiori, non potest extendi ad obiectum formale generis superioris, quale est obiectum supernaturale.

9. Quarta demum sententia proportionatè media docet actum naturalem posse habere obiectum formale supernaturale, actum autem supernaturalem non posse habere obiectum formale purè naturale. Fundamentum esse poterit, quia bonum, & perfectum ex integra causa; malum, & imperfectum ex vnius defectu; ergo ad actum imperfectionem naturalem, qui est perfectus, requiritur, vt habeat obiectum formale supernaturale, & simul habeat modum tendendi proportionatum.

rum obiecto formali, adeoque (similiter su-  
pernaturalem: ad actum autem naturalem,  
qui est imperfectus, sufficit, vt licet habeat  
obiectum formale supernaturale, tamen defi-  
ciat ex eo, quod non habeat modum tenden-  
di proportionatum obiecto formali, adeoque  
supernaturalem. Posset etiam aliquis diuerso  
modo philosophari de actibus intellectus, &  
voluntatis, & ex hoc capite sequi alias senten-  
tias medias.

10. Dicendum primo: repugnat actus  
theologicè supernaturalis tendens in obie-  
ctum purè naturale. Probat: nam ad actum  
theologicè supernaturalem requiritur, vt pos-  
sit saltem disponere ad consequenda bona su-  
pernaturalia; sed actus tendens in obiecta pu-  
rè naturalia non potest disponere ad conse-  
quenda bona supernaturalia; ergo &c. Pro-  
batur minor: nam actus non possunt dispone-  
re nisi ad sua obiecta, vel ad ea, ad quæ ordi-  
nantur obiecta: ergo actus habentes obiecta  
purè naturalia non possunt per se disponere  
nisi vel ad obiecta purè naturalia, vel ad ea,  
ad quæ ordinantur obiecta purè naturalia; sed  
obiecta purè naturalia ordinantur solum ad  
bona naturalia, non autem ad supernaturalia;  
ergo &c.

11. Confirmatur: nam est absurdum, quod  
quis amando bona purè naturalia, quæ res-  
pectu supernaturalium se habent vt lutum ad  
aurum, ac proinde hærens in luto, & non se  
atollens ad amorem bonorum supernatura-  
lium, disponatur ad consequenda bona super-  
naturalia. Nec dicas, quod qui amat bona  
purè naturalia modo tendendi supernaturali  
disponitur ad consequenda bona supernatura-  
lia. Nam redit argumentum de modo ten-  
dendi. Modus enim tendendi circa aliquod  
obiectum non potest disponere, nisi ad conse-  
quendum suum obiectum; sed obiectum  
purè naturale ordinatur ad bona purè natu-  
ralia; ergo &c. Adde hoc ipsum esse absur-  
dum, quod modus tendendi supernaturalis  
desiciatur ad obiectum formale purè natu-  
rale.

12. Infertur ad supernaturalitatem theo-  
logicam amoris non sufficere, vt habeat pro  
obiecto materiali bonum supernaturale, sed  
requiri, vt illud habeat pro obiecto formali.  
Ratio est, quia vt actus disponat ad conse-  
quendum bonum supernaturale, debet illud  
amare ratione sui, non autem purè propter  
obiecta naturalia.

13. Dicendum secundo: repugnat actus  
honestus naturalis habens pro obiecto forma-  
li aliquid supernaturale theologicè. Proba-  
tur: nam repugnat, vt actus purè naturalis  
disponat ad consequenda bona supernaturalia,  
vt docent communiter Theologi; sed actus  
habens pro obiecto formali aliquid superna-  
turale disponit ad consequenda bona super-  
naturalia; ergo &c. Probat minor: nam  
quis dicat, quod homo per hoc ipsum, quod  
amat bonum supernaturale ratione sui, non

disponatur ad illud consequendum? Sed hæc  
melius explicabuntur in solutione obiectio-  
num.

14. Ad primum: Deus dupliciter potest  
dici ens, & bonum supernaturale; primo phi-  
losophicè, secundo theologicè. Dicitur  
ens, & bonum supernaturale philosophicè,  
in quantum est supra omnem naturam, & bo-  
nitatem creatam, & creabilem; & quoad  
hanc supernaturalitatem potest cognosci per  
lumen naturale, & amari amore naturali. Di-  
citur ens, & bonum supernaturale theologi-  
cè, in quantum potest producere bona super-  
naturalia gratiæ, & gloriæ; & quoad hanc  
supernaturalitatem non potest cognosci co-  
gnitione purè naturali, & amari amore purè  
naturali. Per lumen igitur naturale possu-  
mus quidem cognoscere Deum esse omni-  
potentem, & posse producere entia naturalia,  
sed non possumus cognoscere Deum posse  
producere entia theologicè supernaturalia,  
hoc est dona gratiæ, & gloriæ, vt colligitur  
ex Apostolo 1. ad Corint. 2. Ratio est, quia  
per lumen naturale cognoscimus Deum ex  
rebus naturalibus, non autem ex supernatu-  
ralibus; sed per res naturales Deus potest so-  
lum cognosci vt potens producere naturalia,  
non autem supernaturalia; ergo &c. Et per  
hoc patet ad 2.

15. Ad tertium, in quo est præcipua diffi-  
cultas: argumentum probat quidem actus  
entitatiuè naturales posse habere obiectum  
materiale supernaturale, quod non negamus,  
at non probat posse habere obiectum formale  
supernaturale, quod solum negauimus in se-  
cunda conclusione. Vt hoc explicemus, pri-  
mò respondendum est ad argumentum, in  
quantum probat actus naturales intellectus  
posse habere obiectum formale supernaturale;  
secundo in quantum id probat de actibus vo-  
luntatis.

16. Concedo igitur, quod posset alicui  
persuaderi Deum reuelasse quatuor esse perso-  
nas diuinas &c. sed dico, quod in eo casu  
crederet Deum reuelasse ea falsa mysteria pro-  
pter rationes, vel auctoritates humanas, ac  
merè naturales, adeoque propter obiecta forma-  
lia purè naturalia. Concedo rursus, quod  
proportionaliter posset quis per vires natura  
propter rationes, & auctoritates humanas cre-  
dere Deum reuelasse personas diuinas esse  
tres, aliaque mysteria vera; sed dico, quod  
in eo casu, tum mysteria, tum veram reuelati-  
onem crederet, non propter se, & vt obiecta  
formalia, sed vt obiecta purè materialia. Si  
verò quærat, quare reuelatio diuina non  
possit per actum naturalem credi immediatè  
propter se, & vt obiectum formale, respon-  
deo rationem esse, quia vt dicam in Tractatu  
de Fide, diuina reuelatio non fit per se credi-  
bilis, nisi per internam, & supernaturalem il-  
luminationem Spiritus Sancti; sed talis illu-  
minatio reddit reuelationem credibilem so-  
lum per actum supernaturalem; ergo &c.

Idco daemones dum credunt Deum reuelasse religionem Christianam, reuelationem credunt, non propter se, sed propter alia motiua.

17. Dices; possumus per actum naturalem propter motiua naturalia cognoscere Deum esse bonum supernaturale theologice, & finem supernaturalem consistere in visione intuitiua Dei; ergo possumus dependenter ab hoc motiua naturali cognoscere, adeoque per amorem naturalem amare Deum ex hoc motiua, & obiecto formali, quia Deus est bonum supernaturale theologice, & possumus ratione sui, atque vt obiectum formale amare finem supernaturalem consistentem in visione intuitiua Dei.

18. Respondeo distingo consequens; ergo possumus per amorem naturalem amare Deum ex hoc motiua, & obiecto formali, quia est bonum supernaturale, itaut ad talem amorem alliciamur à rationibus, per quas bonum supernaturale proportionatur naturæ, & conuenit cum bonis naturalibus, concedo; itaut alliciamur à rationibus, per quas bonum supernaturale excedit naturam, & non conuenit cum bonis naturalibus, nego consequentiam. Bonum supernaturale, dum proponitur cognitione naturali, potest quidem amari amore naturali, sed propter rationes proportionatas naturæ, adeoque formaliter naturales, non autem propter rationes excedentes naturam, & formaliter supernaturales. Ratio est, quia per vires naturæ possumus bonum amare solum propter rationes proportionatas naturæ, ad bonum autem amandum propter rationes excedentes naturam, requiruntur vires gratiæ, quia per gratiam inspirationis eleuatur homo ad hoc, vt propter se amet rationes boni excedentes naturam, iisque per se delectetur. Ideo Augustinus lib. 2. de pecc. merit, & remis. dicit gratiam illuminationis, quæ spectat ad intellectum, consistere in hoc, vt appareat quod latebat, gratiam inspirationis, quæ spectat ad voluntatem, consistere in hoc, vt suaue fiat quod non delectabat.

19. Ad quartum pater ex dictis. Hæreticus enim cognitione purè naturali cognoscens bona supernaturalia posset amore naturali amare bona supernaturalia propter rationes proportionatas naturæ, & communes bonis naturalibus, non autem propter rationes excedentes naturam, ac proinde supernaturales.

20. Ad quintum distingo antecedens; potest homo per actus versantes circa obiecta purè naturalia disponi per se ad gratiam, & salutem, nego; per accidens, improprie, & purè occasionaliter, concedo. Disponere se improprie, & purè occasionaliter ad salutem, est facere aliquid, quod ex se nihil confert ad salutem, sed est pura occasio salutis, & gratiæ. In hoc sensu potest aliquis etiam faciendi actus grauiter peccaminosos ponere occasio-

nem consequendi gratiam; & salutem; ex quo bonus latro committendo peccata, propter quæ fuit crucifixus cum Christo, fecit aliquid, quod fuit occasio, vt crucifixus cum Christo saluaretur; ergo à fortiori potest homo per actus bonos purè naturales per accidens, improprie, & purè occasionaliter disponere ad salutem; ergo non est mirum, quod in casu allato in argumento infra per actus bonos purè naturales possit se occasionaliter disponere ad fidem, & salutem, faciendi aliquid, ex cuius occasione instruitur in fide, & consequatur salutem.

21. Dices; potest aliquis per actus naturales præcedentes fidem se disponere ad fidem; sed actus præcedentes fidem non inducunt in vllum obiectum formale supernaturale; ergo possunt dari actus supernaturales tendentes in vllum obiectum formale supernaturale.

22. Respondeo, distingo maiorem; rest aliquis per actus supernaturales fidei inchoatæ præcedentes fidem perfectam se disponere ad fidem perfectam, concedo; per actus præcedentes fidem inchoatam se disponere ad fidem, nego; distingo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Duplex est fides; perfecta nimirum, & inchoata. Fides perfecta est, per quam credimus super omnia Deo reuelanti, vt explicabitur in Tractatu de Fide. Fides inchoata est qualibet cognitio causata ex interna illuminatione Spiritus Sancti, qua proinde incipimus credere Spiritui Sancto interius illuminanti, licet adhuc non credamus super omnia. Certum est, quod fides perfecta semper nos disponit ad aliquos actus supernaturales antecedentes intellectus, tum voluntatis. Vt enim dicitur in Tractatu de Fide, actum fidei perfecta præcedit voluntas supernaturalis credendi, actum supernaturale de prudenti credibilitate, quod iudicium præceditur ab apprehensionibus supernaturalibus, qui omnes actus dicuntur fidei inchoatæ, & per se disponunt ad fidem perfectam. Certum rursus est, quod primum actum fidei inchoatæ non possumus nos disponere per vllum actum supernaturalem antecedentem. Ratio est, quia nomine fidei inchoatæ intelligimus quamlibet cognitionem ortam ex interna illuminatione Spiritus Sancti; sed nullum actum supernaturalem possumus exercere ante primam cognitionem ortam ex illuminatione Spiritus Sancti, ergo &c.

23. Hoc posito, potest primo queri, vtum primum actus fidei inchoatæ, hoc est prima cognitio supernaturalis orta ex illuminatione Spiritus Sancti possit esse de obiecto purè naturali?

24. Respondeo negatiue ex fundamenta primæ conclusionis. Explicatur. Nam primum actus fidei inchoatæ habet pro obiecto formali internam illuminationem supernaturalem, Adde, quod ipsa prima interna illu-

minatio est quædam apprehensio, qua, vt loquitur Augustinus, *apparet quod latebat*, subintellige naturam, hoc est aliqua ratio boni excedens naturam, ideoque habet pro obiecto formali aliquid supernaturale.

25. Potest secundo quæri, vtrum primus actus, seu motus supernaturalis voluntatis ortus ex inspiratione Spiritus Sancti possit esse de obiecto purè naturali?

26. Respondeo negativè ex fundamento eiusdem primæ conclusionis. Explicatur. Nam per primum motum supernaturalem ex Augustino *fit suave quod non delectabat*, subintellige naturam, adeoque voluntas incipit delectari de aliqua ratione boni excedente naturam, & apparet per illuminationem Spiritus Sancti.

27. Addo primo, quod dum dicitur fides esse principium totius meriti, & totius salutis, id intelligendum est de fide inchoata, hoc est prima cogitatione supernaturali, quæ non potest cadere sub vllum meritum, neque de congruo, neque de condigno. Addo secundo Deum, qui vt dicitur Ioan. 1. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibus habentibus vsum rationis regulariter, cum ad illos pervenit aliqua notitia, vel fama Evangelij, & aliquando etiam si non pervenerit vlla notitia Evangelij, dare aliquam illuminationem supernaturalem, & infundere aliquam amorem simplicem boni supernaturalis, & hanc esse primam gratiam supernaturalem prævenientem, quam Deus in nobis sine nobis liberè operantibus producit, per quam potest homo liberè se disponere ad vltiorem gratiam, ad iustificationem, & ad salutem. De hac prima gratia intelligendum est axioma, *facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Sensus est: facienti quod in se est ex viribus gratiæ supernaturalis, & prævenientis, quam Deus non negat vlli habenti vsum rationis, Deus non denegat vltiorem gratiam vsque ad iustificationem, & salutem. Quicumque igitur non iustificatur, & non saluatur, ideo non iustificatur, & non saluatur, quia non facit quod in se est ex viribus gratiæ prævenientis.

28. Quæritur, an sit verum, quod facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam supernaturalem.

29. Respondeo, quod si sensus sit, quod Deus gratiam supernaturalem non dat adulto, nisi facienti quod in se est ex viribus naturæ, axioma est falsum, & Semipelagianum, ac facit gratiam pedissequam naturæ. Secundo est falsum, si asseratur, quod facere quantum in se est ex viribus naturæ possit esse meritum, vel dispositio per se conducat ad gratiam supernaturalem. Tertio falsum etiam existimo, quod Deus fecerit pactum cum Christo Domino dandi specialiter gratiam supernaturalem facienti quod in se est ex viribus naturæ. Solum ergo est verum, quod Deus ex meritis Christi Domini omnibus adultis habentibus

vsum rationis, seu faciant, seu non faciant quod in se est ex viribus naturæ, dat aliquam gratiam supernaturalem alicuius illuminationis, & inspirationis, ex cuius gratiæ viribus, si faciant quod possunt, obtinebunt vltiorem gratiam vsque ad iustificationem, & ad salutem inclusivè, itaut non damnentur, nisi quia non faciunt quod in se est ex viribus gratiæ supernaturalis.

## QVAESTIO LXXVIII.

*Verum gratia sanctificans sit habitus realiter distinctus à virtutibus supernaturalibus, & præsertim à charitate?*

S. Tho. 1. 2. quæst. 110. artic. 1. 2. 3. 4.

1. **P**rimo videtur gratia sanctificans non distingui, non solum realiter, sed ne formaliter quidem à charitate, vt indicat Durandus in 2. dist. 26. quæst. 1. Nam gratia sanctificans est, quæ constituit Deo gratum, charitas est, quæ constituit Deo charum; sed idem formaliter est hominem esse Deo gratum, atque esse Deo charum; ergo gratia, & charitas sunt idem etiam formaliter, ac per intellectum, & sunt duo nomina synonima.

2. Secundo videtur gratia sanctificans solum formaliter, & ratione nostra, non autem realiter distingui ab habitu charitatis, vt docuerunt Richardus, Scotus, & Gabriel in 2. dist. 26. Alensis 3. part. q. 61. memb. 2. art. 4. Vega l. 7. in Trident. cap. 25. Bellarminus l. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 6. & alij, quos refert Suarez l. 6. de gratia, cap. 11. quos etiam sequitur P. Sparza quæst. 5. de Iustificat. & alij recentiores. Vt enim arguit Bellarminus loco citato quicquid de gratia dicitur, illud ipsum Scriptura, & Patres tribuunt charitati: ergo gratia, & charitas idem sunt. Probatur antecedens, afferendo ea, quæ dicuntur de gratia, & ostendendo, quod à Scriptura, & PP. tribuantur charitati.

3. Primo gratia dicitur dare homini esse quoddam supernaturale, per quod nascatur ex Deo, fiat filius adoptivus, nova creatura, & diuinæ consors naturæ; sed hæc in Scriptura tribuuntur charitati: nam 1. Io. 3. dicitur. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*; & cap. 4. *omnis qui diligit, ex Deo natus est, si autem ex Deo natus est, procul dubio factus est consors naturæ diuinæ, & nova creatura*; ergo &c. Secundo per gratiam dicimur coniungi, & adhærere Deo, manere in Deo, & Deus in nobis; sed prima Io. 4. hæc tribuuntur charitati, ac dicitur, *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet*; ergo &c. Tertio proprium gratiæ est facere hominem Deo gratum, & à Deo dilectum; sed charitas ex Scriptura facit hominem Deo dilectum: nam Prou. 8. Deus dicit, *ego diligentes me diligo*, & Io. 14. *qui diligit me,*